



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.2. Conservatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

§. 2. *Conservatio.*

Tamen adhuc in limine versor, exordio-
que rerum. Prima creatio momento verti-
tur; at CONSERVATIO, æterna creatio
est; de quâ semper dicere possis, ut de Ver-
bo: *In principio erat.* Hoc discrimine, quòd
Verbum semper nascens, semper sit absolu-
tum; tu tuo ab artifice nunquam. Tu opus
imperfectum, & ut loquuntur, *nunquam in
facto esse, in fieri semper*: denique non tam
res, quàm modus rei; vel potiùs Dei, à quo
funditus æternùmque, ut cetera, pendes.
Non enim fecit, & abiit. (Augustinus.)

Meditare itaque, te toties edi, parturiri,
in lucem repræsentari, quoties respiras; ha-
bere te tot personæ tuæ natalitia, quot vitæ
momenta. Imò te in horam singulisque mo-
mentis nasci simul & mori; nasci in Deo,
continuâ restauratione membrorum; mori in
te ipso, *perpetuâ vicissitudine temporum*. Item
contemplator ejusdem oculum ac præpo-
tentem manum, ad omnia vitæ tuæ subsidia,
nullo non loco vel tempore intentam, ob-
reperere in artes usisque rerum, ac operibus
immixtam suis, cælo terrâque, ac quaqua-
versum, occultâ vi collaborare tibi, concur-
rere in opus, inque motum; ac postremò te-
cum

cum & cum universis hinc inde caussis ufque conniti, vel colorandis floribus, vel maturandis frugibus, vel etiam condiendis cibis: te proinde ab eâdem ali, foveri, portari, moveri, tanquam à principali præcipuâque causâ, cum cetera, tûque imprimis, non sis aliud, quàm *instrumentum tui*. Ex quo Deus non solùm sit primus omnium coquus, promus condus, agricola, vinitorque tuus; sed etiam primus omnium cibus, ac cibi vini que primus sapor, uno verbo VITA VITÆ. Non enim tantùm aleris à Deo, sed etiam Deo.

Hoc autem quale quantumque sit, quis edisserat? à magnis magna omnia; vel si florem ac pilum unum dedisset, erat hoc donum donantis dignitate summum. Audi Prophetam: *Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos*: Ecce non oculos solùm aperit & tuos, & suos; sed totum te & totum se explicat tibi tantus Rex, tantûsque famulus, & ex tanto. Verè *servus servorum*. Quid dico autem? verè servus hostium suorum, *qui Solem suum facit oriri* etiam super malos: qui non, ut Job tantùm, oculus cæco, pes claudus, debili manus; sed, quod monstro simile est, pes etiam currenti in vin-

di-

dictam, oculus impudico, lingua blasphemio. Nam sicuti sine Deo Deus coli nequit; ita neque sine Deo Deus offendi: & ille quidem libertati tuæ serviens & in utrumque paratus mavult se lædi, quàm te, bonus bono tuo & bene; at tu deteriora secutus, malo tuo malus & malè in transversa ruis. Et quousque tandem, ô mortaliū ingratissime? Unde vel tantum amoris in Domino, vel tantum furoris in seruo? nonne (si fas ita loqui de Deo) uterque monstrum est, ille clementiæ, tu nequitia? Proh scelus! etiam abuteris Deo, sacrilegiòque vel invitum & reluctantem immisces tuo. Quo fine miser, aut quâ spe? sed utcumque tibi cadat, ego meam in rem intentus, alterum è duobus optandum à Deo reor, aut ut amorem adaugeat meum, aut ut amorem diminuat suum.

§. 3. *Finis.*

Hactenus de principio, nunc de FINÈ dicendum est: quæ si non est alia quàm hæc vita murium atque muscarum; de tot elatis in hoc orbe montibus idem pronuntio quod olim: *Parturient montes; nascetur ridiculus mus.* Verùm aspirante Deo primis postrema respondent. *Finis, inquit, ut sit De-*